

re sibi videtur; TURRIANUM vero male causam suam egisse, non opus est ut prolixè demonstremus, postquam id ex Reformatis DALLAEUS inter Pseud-Epigrapha Patrum, hos quoque Clementis Canones esse spurios, & sequentium seculorum foetum, gravissimis rationibus confecit: Ex Pontificiis vero ipsis non pauci, iique viri summae auctoritatis deprehenduntur, qui has naenias TURRIANI exploferunt; nominatim NATALIS ALEXANDER, cui constitutiones illae non modo ab aevo Apostolorum, verum etiam ab ecclesiae sua doctrina multum discrepare deprehensae sunt: id quod operose probat *Select. H. E. Sec. I. Diff. 18.* Huic jungendus est CHRISTIANUS LUPUS, qui scriptum illud ab homine Arriano tam in doctrina, quam in ritibus maculato, profectum esse profitetur, adeoque TURRIANUM in eo poliendo bonas horas male collocasse. Jungit his testibus satis idoneis adhuc POSSEVINUM B. ITTIGIUS, cui TURRIANUS non visus fuerit id effecisse, quod efficiendum sibi sumserit. *Diff. de Pseudepigraphis Christi, Mariae & Apostolorum,* tum etiam *Histor. Eccl. Sec. I. p. 51.* Conf. etiam ex nostratibus B. CHEMNITIUS *Exam. Concil. Trident. P. IV. p. 778.* alios ut taceamus, qui ex historia literaria Sacra hic adduci non parva serie possent. Dum itaque plumbeis armis adversus nos disceptat TURRIANUS, parum detrimenti passa est coelestis veritas, quae tot haeresium ab ipso fuit accusata, quaeque aliquando in die iudicii eum cum aliis convitiatoribus aeternum confundet, imo jamdudum confudit.

§. VII.
TURRIANO ad latus poneremus MAXIMILIANUM SANDAËUM, ejusdem ordinis socium, qui variis scriptis *ἔγκλημα* illud proposuit & Protestantibus obtrusit, quem
refu-